



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Res à S. Ignatio Loiola Societatis Iesv Parente Gestæ

Ribadeneyra, Pedro de

Coloniae, 1622

Longißimè auditur. 101

urn:nbn:de:hbz:466:1-44900

pòst in patriam ingreditur: sed ad
 fratrè, domus illustris principem,
 noluit neque diuertere, neque ab
 eo rerum necessariorum quicquã
 petere. Xenodochio receptus,
 perseuerauit more suo stipẽ pro-
 palã rogare. 100 Hic pueris Chri-
 stianæ rei rudimenta tradere: per-
 que hebdomadem ter instituit
 pro concione cum populo agere.
 At ille omnibus vijs accurrere, &
 frequens adesse: adeo vt in cam-
 porum aperta fuerint educendi,
 quòd templorum angustiis arce-
 rentur. Vbi non pauci fuere, qui
 inscens arboribus, opportunum
 eius audiendi locum captarent.

101 Quæ verò res miraculi speciẽ
 non obscuram habuit: cum febrim
 conflictabatur **IGNATIVS**, & ce-
 tera mirè debilis, languebat: con-
 cionantis tamen oratio ultra pas-
 sus trecentos syllabatim ac clarè
 accipiebatur. Valuerunt illiusmo-

E

di o-

di orationes aduersus crebra vitia, quæ vulgo inuaserant, Deniq; rebus pluribus cum pauperum aliorumq; bono constitutis, patriâ rursus excedit. Secuta eum est admiratio apud ciues ingens; & mirificæ virtutis superstes fama. 102 Quippe satis constat, in ijs partibus, hominem comitali peste annos multos ægrum, malo liberasse. Ibi sceminam præterea honestam, quæ lenta phthisi tabescebat, viribus restituit: & aliam malo dæmone agitatum obsidione exemit. Hæc omnia vsque in famam miraculi percrebuerunt, vt certatim multi in vestem IGNATIÏ inuadere, tactuq; religioso eum sanctum colore laborarint. Discessit nullo nec socio nec viatico subleuatus; &, mendicitate, quam nunquam desierat, velut longis deliciis reuocata, Pompeiopolim peruenit, inde Almazanum: